

Ad Illusterrimum, ac Excellentissimum
DUCUM

1313

**LUDOVICUM MARIAM
SFORTIAM VICECOMITEM**

MEDIOLANI DUCEM,

N I C O L A I T E G R I M I

LUCENSIS EQUITIS, AC JURECONSULTI

IN CASTRUECII DUCIS VITAM

P R A E F A T I O .

Maximos Principes, & viros non solum aliena benefacta & dicta audire & legere libenter solitos esse compertum est, sed apud eos summo in honore, qui ea literis mandarent, semper fuisse, & maximis affectos præmiis, multis exemplis in medium afferri posset. Major Scipio, qui Punica bella solus ex Italia in proprium caput vertit, Ennium in castris semper lateri hærentem habuit, & cum gemina Carthagine victa triumpharet, Poëtam lauro Martio redimitum tempora, simul triumphare voluit. Amant enim Scriptores, quicumque scriptis digna gerunt. Exstat notissima illa Alexandri magni vox juxta Achillis tumulum edita, felicem illum, qui virtutum suarum Homerum præconem habuerit. Titi Livii nomen quanto in honore à barbaris etiam habitum fuerit, Divi Hieronymi testimonio comprobatur, qui quosdam ex ultimis Hispaniarum finibus, quos Urbis Romæ magnitudo non moverat, ad Patavinum visendum incitatos, Italiam penetrasse refert. Divorum Julii, Octaviani, Trajani, reliquorumque optimorum sequentium Principum plena sunt omnia. Apud Honorium, Arcadiumque Claudianus, qui eorum gesta tam diserte magnificèque conscripsit (ut uni Maroni cedat) tanto fuit in pretio, ut nihil sit ab iis, aut eorum Ducibus præclarè factum, in quo non sint virtuti testes adhibitæ Musæ. Tu Princeps, Orbis decus, qui cum ætate ea incrementa virtutum suscepisti, quæ te patri carissimum, matri obsequentissimum, fratri gratissimum, nepoti pientissimum, Galliæ Cisalpinæ optatissimum, universæ Italiæ utilissimum exhibuerint, & te gubernante Jani sit templum clausum; & post necessaria bella, & pro salute tutanda, & vi propulsanda, contra apertissimos hostes tuos suscepta, iterum Mundo sit pax reddita, cum nec rebus in toga, armisque gestis cuivis superiorum Principum cedas, viros doctos, & qui ingenii acumine & dexteritate excellere videntur, ut in hoc quoque à Cæsaribus non vincaris, foves, amplecteris, & dignitatum titulis exornas. Accedit hoc non mediocre ornamentum ad amplitudinem gloriae tuae, quod inter maximas curas, qua te totius non solum Italiæ, sed Galliarum, Hispaniæ, Germaniæque moderatorem detinent, literatorum hominum recreari alloquio, & Historiâ humanarum rerum magistrâ delectaris. Pates omnibus ad venerationem, virtutibus, meritis, felicitate, & gratia, Princeps

Tom. XL.

Vuuu ceps